

tu irruit in eos, neminem nempe ledens, eorum, qui omnibus statim relictis, dementisque, ut dignum fuerat, effecti, in fugam conversi sunt. Quibus videlicet fugientibus, terribiliter rugiens leo percutiebat cauda fortiter terram, perterritisque camelos, sicut erant onusti, ante se ad cellam ire coegit.

Insolitam ergo rem fratres videntes, quod precedens asinus sarcinatus in medio cameli, & subsequens eorum terga leo pariter veniret, mox exeuntes modestè, curaverunt beato nunciare Hieronymo. Quo audito, foras egrediens, januas monasterii patefieri iussit benignè: summumque silentium imperavit, dicens: Hospitibus nostris, id est camelis & asino, auferentes sarcinas eos leviate, pedesque abluite, escas præbete, expectantes quid in hoc facto suis voluerit Dominus servis demonstrare. Omnibus denique quæ erga camelos fuerant iussa præcæcis, cepit leo ut dudum huc atque illuc gratulabundus per claustra monasterii ire, singulorum se fratrum vestigiis sternens: & quasi de perpetrata, quam non fecerat culpa, alludens cauda, veniam postulabat.

Quo viso, fratres pœnitentiam agentes, quod ei crudelitatis intulissent crimen, dicebant: Ecce pastorem nostrum, quem paulò ante ut voratorem crudeliter damnabamus, cum quanto eum præconii miraculo, ut huic crimen auferret, ad nos dignatus est mittere Dominus. Beatus ergo Hieronymus futurorum præcius, sic fratribus ait: Parati estote fratres in his quæ usui refectiois sunt necessaria: ut hi qui nobis sunt futuri, absque molestia ut dignum est, hospites suscipiantur. Mox utique imperata subsecuti, veloci quæque obedientia sunt expleta.

Præcæcis quoque iussis, fermocinantibusque cum beato Hieronymo fratribus, subito venit nunciatus, qui diceret ante monasterii fores hospites adesse, qui cœnobii patrem vellent videre. Hoc sæpe dictus pater audito, portas cellæ patefieri, eosque ad se ingredi iussit. Qui quamvis vocati, erubescendo tamen introeuntes: visoque beato Hieronymo, ejus se prostraverunt vestigiis pro culpa veniam postulantes. Quos ipse clementer elevans, admonuit, ut suis cum gratiarum actione utentes rebus, alienas tangere non usurparent: ac deinde sub Dei præsentia cautè viverent semper. Quam nimirum prædicatione expleta, præcepit ut reficerentur, receptisque camelis abirent. Tunc illi una voce pariter dixerunt: Obsecramus pater, ut ad Ecclesiæ luminaria, necessitatemque fratrum, dimidium liquoris olei, quod attulerunt cameli, suscipi jubeas: quia scimus & certi sumus, quod plus propter vestram, quam pro nostra utilitate, ut negociaremur perreximus in Ægyptum. Quibus beatus Hieronymus ait: Non rectè proculdubio postulatis: quia valde durum videtur, ut nos qui aliis compati,

aliorumque necessitatem sublevare dando debemus, vos gravemus, vestra quibus non indigemus tollentes.

Tunc illi, neque, inquiunt, hic cibum, neque quæ nostra sunt, accipiemus: nisi quod poposcimus, prius iusseris fieri. Itaque, ut prædiximus, nunc dimidium quod attulerunt cameli olei liquorem suscipiatis: & deinceps pollicemur nos nostrisque hæredes, vobis vestrisque successoribus omni anno olei mensuram hic esse daturos. Sicque constrictus beatus Hieronymus, coactisque eorum precibus violentis, quæ rogaverant, impleri præcepit. Sumpto quoque cibo, ac benedictione cum camelis accepta, exultantes, gratulantesque ad propria remearunt. Hæc autem Bethleem acta, & ab incolis loci illius hæctenus asserendo ita fuisse narratur.

Bethleem verò locus splendidus, civitas fuit David in tribu Juda: ubi quondam Dominus & Salvator, ut (impleretur propheta: Veritas de terra orta est) in præsepio intra speluncam, ex virgine nasci dignatus est: & parvulus vagiit. Quod præsepe auro argentoque ornatum (sicut sanctus refert Antonius) incessanter in eo luminaria ardent: plurimisque servorum Dei habitaculis undique circumdatur. Os enim speluncæ ad ingrediendum omnino angustum est: In cuius itaque ore, id est in ipso præsepiti ingressu, beatus Hieronymus saxum scalpendo, monumentum sibi fieri iussit. Tanta vero idem corporis lassitudine fatigatus est: ut etiam in stratu suo jacens, funiculo ad trabem suspensus, supinisque manibus apprehenso erigeretur, ut scilicet officium monasterii prout poterat, exhiberet: transeuntesque in squalore corporis, vocisque tenuitate dies pluri mi fluerent.

Dehinc ipse vir beatus in librorum abundantia fultus, dictis suis sancto Spiritu dedicatis, immobilem Catholicæ turrim Ecclesiæ, contra perfidorum jacula consummavit. Pergunt itaque ad visitandum, consolandumque Hieronymum, dum in labore esset itidem Catholicæ seniores: ad beatumque Augustinum Episcopum, secum quidem animo Ecclesiæ Catholicæ cooperantem: corpore autem in Africa scribentem, sic inter cætera scripsit: Nostra habuimus tempora: & cucurimus quantum potuimus: nunc te currente, & longa spatia transmittente, nobis debetur otium. Igitur idem beatissimus, diebus vitæ suæ in spirituali opere irreprehensibiliter consummatis, nonagesimo octavo ætatis suæ anno in Domino requievit. Bethleem eum alma tenet iterum venturo Domino offerendum. Dormivit autem beatus Hieronymus, anno imperii Theodosii junioris duodecimo: imperante utique illo, cuius anni nec inchoantur, nec finiuntur: Qui vivit & regnat per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

*Tertiæ seriei hujus Tomi finis.*

COMMENTARII  
IN LIBROS SACROS  
FALSO  
HIERONYMO  
ADSCRIPTI.

COMMENTARIUS IN PARABOLAS  
Salomonis, falso Hieronymo attributus.

Caput I.

**P**ARABOLÆ Salomonis filii David regis Israël. *παραβολαί* Græcè, Latine dicuntur similitudines. Quod huic libro vocabulum Salomon ob id imposuit: ut sciremus altius, & non juxta literam tantum, nos intelligere debere quæ dicit. In quo Dominum significat per Parabolas turbis fuisse locuturum. Salomon autem nomine proprio, & pacifico regni sui statu, regnum Christi & Ecclesiæ perenne denunciat: de quo scriptum est: Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solum David sedebit, & super regnum ejus. Sicut & Templi constructione ac dedicatione, adificationem sanctæ Ecclesiæ: quæ tempore resurrectionis in æternum dedicabitur, insinuat. Nam & ipse Salvator filius esse David, & Rex spiritualis Israël, etiam turbarum testimonio, quæ civitatem Jerusalem venienti cum palmarum ramis & laudibus occurrere declaratur. Notandum autem, quod in vulgata editione pro Parabolis, quæ Hebræicè MASALOTH vocantur: *παραβολαί* id est, Proverbia dicuntur. Sed nec ipsum nomen abhorret à vero. Quæ enim Parabolæ rectè nuncupantur, quia occulta sunt: possunt non incongruè etiam Proverbia vocari: quia talia sunt quæ merito sapientissimè ore colloquentium versari ac memoria debeant retineri. Nam & Proverbia plerumque tam obscure dicuntur, ut merito eadem possint etiam Parabolarum nomine notari: Domino attestante, qui ait: Hæc in Proverbis locutus sum vobis: Venit hora cum jam non in Proverbis loquar vobis, sed palam de patre annuntiabo vobis. Quid autem utilitatis Parabolæ Salomonis conferant, sacramento tituli monstratur cum subditur:

*Ad sciendam sapientiam & disciplinam.* Sapientiam autem & disciplinam scire est, quomodo rectè credere, qualiter secundum id vivere oportet quemque quod veraciter constat didicisse: quo intentionem cordis dirigere, quid operando gerere conveniat nosse. Quod autem adjungit,

*Ad intelligenda verba prudentia, & suscipiendam eruditionem doctrinæ.* Monet eos quos imbuat: ut non solum sapientiam quam semel ipsi perceperint amplecti, & disciplinæ virtutum quam cognoverint, sciant inservire: sed etiam verbis prudentium, quibus ad perfectiora proficiant, libenter auscultare, & hæc solerter intelligere curent.

*Justitiam & judicium, & æquitatem.* In justitia, actio recta: in judicio, discretio boni & mali: in æquitate verò rectitudo mentis intelligitur. Justitia est in his quæ secundum regulam veritatis bene operamur. Judicium in illis quæ recta discretionem cum proximis agimus. Æquitas in eo, cum sincera intentione, Deo soli in his quæ rectè gerimus vel judicamus, placere contendimus.

*Ut detur parvulis astutia: adolescenti, scientia & intellectus.* Parvuli dicuntur sensu simplices: adolescentem verò in fide & opere proficientes. Parvulus dicit eos qui nuper sapientie aures accommodare cœperant. Adolescentem, qui aliquantum jam in ejus auditione profecit. Et ideo fortasse

Tom. V.

parvulus plurali numero, adolescentem appellat singulari: quia doctrina sapientie, quos diversis animi motibus, diversis vivendi moribus deditos suscepit, in unam virtutis perfectionem erudiendo provehit: de quibus jure dicatur: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Ut detur, inquit, parvulis astutia, subtilitas cautela. Hæc etenim rudibus & incipientibus est necessaria: per quam sophismatum dinoscere & cavere versutiam possint: ne fallorum fraudibus argumentorum abducantur à simplicitate veræ sapientie, quæ ducit ad vitam. Adolescenti scientia & intellectus: quia qui prudenter declinat falsa, consequenter scita veritatis percipiet. Hæctenus prætulatio, hinc jam ipse textus Parabolarum incipit.

*Audiens sapiens sapientior erit.* Quia sapientie amator extitit Salomon: qui optione sibi data sapientiam petiit & accepit: pulchrè initium Parabolarum suarum à sapientia sumit. Quod autem ait, sapientem cum audierit verbum, sapienter effici: ostendit neminem in hac vita ita sapientem fieri posse, cujus sapientia nequeat augeri. Semperque moris esse sapientum ut dictis majorum, aliquando etiam minorum, auscultent: & quicquid in eis utilitatis audierint, ad se replicent, suoque in corde recordant. Denique audivit sapiens minor majorem, regina Saba Salomonem, & sapientior rediit. Audivit Moyses focerum, multo inferiorem sublimior: & sapientior redditus est. Audierunt discipuli Christum: & spiritum sapientie percipere meruerunt. Audivit Nicodemus: audivit Gamaliel: audivit discipulus ejus tunc Saulus, nunc Apostolus Paulus, sapientes utique verbum Evangelii: & sapientiores sunt facti. Qui etiam Paulus cum ad tertium cælum raptus, audisset ea quæ non licet hominibus verba loqui, nihilominus ad terram reversus aiebat: Quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

*Et intelligens gubernacula possidebit.* Nemo se de sua jactet scientia: quia qui sapientium verba crebrò audire & intelligere negligit, vitam suam rite gubernare non novit. Quanto magis alieno regimini præfici nequit, qui seipsum ad patrum disciplinam subjicere contempsit? Quod ergo ait: Audiens sapiens sapientior erit: ad cognitionem rerum quæ per sapientiam noscuntur respicit. Quod verò addit, Et intelligens gubernacula possidebit: ad rectitudinem vitæ, quæ per eandem sapientiam discitur vel docetur, pertinet. Et pulchrè principium Parabolarum principio congruit tituli: quod ita se habet: Parabolæ Salomonis filii David Regis Israël, ad sciendam sapientiam & disciplinam.

*Animadvertet Parabolam & interpretationem, verba sapientium, & ænigmata eorum.* Animadvertere, est animum illuc vertere: hoc est, sensus in id quod legitur, intendere. Parabola est comparatio ex dissimilibus rebus: aliud enim in superficie sonat: & aliud intellectu innuit. Ænigma est quæstio obscura, quæ difficile intelligitur nisi aperiatur, ut in illud libro Judicum: De comedente exivit cibus: & de forte egressa est dulcedo. Animadvertet Parabolam & interpretationem, verba sapientium & ænigmata eorum. Hoc discipulis se humiliter audientibus, ipsa quæ eos in carne apparentes erudiebat sapientia donavit: ut & suas Parabolas, quæ turbæ nequibant

K k ij



intelligere, & Prophetarum ac legis ænigmata, id est obscura dicta spiritaliter animadvertere, ac suis auditoribus dilucidare valerent: sed & sequentibus Ecclesie magistris, eadem intelligentie spiritualis arcana piè quaerentibus, ac pulsantibus referat.

*Timor Domini, principium scientie.* Duo sunt timores Domini: prior servilis, qui principium scientie vel sapientie vocatur. Secundus amicalis, qui perfectiorem sapientiam comitatur. Timor servilis, principium sapientie est, quia quisquis post errorem delictorum sapere incipit, primo timore divino corripitur, ne ad tormenta ducatur: sed hunc timorem perfecta dilectio foras mitrit. Succedit autem timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi: quem non excludit sed auget charitas. Ipse est quo timet filius bonus, ne vel in modico oculis amantissimi patris offendat. Nam inchoativo timore servilis adhuc animus metuit, ne ab irato Domino pænis subigatur. Uterque autem timor in futura vita cessabit. Charitas verò nunquam excidit, sed in plenitudine sapientie perpetua manebit: quod est cognoscere verum & unum Deum, & quem misit Jesum Christum.

*Sapientiam atque disciplinam stulti despiciunt.* Dixerat de sapiente: quod audito sermone, sapientior feret: & intelligens rectè suos gubernare disceret actus. Dicit è contrario de stultis, quia sapientiam recti dogmatis & disciplinam puræ conversationis non modo non assequuntur, sed & nosse contemnant. Denique prædicante in carne ipsa sapientia, sapientes quique gaudentes accurrebant: At pharisæi & principes sacerdotum, salutaria ejus dicta simul & facta spernebant. Et notandum quod sapientem singulari numero, stultos describit plurali: quia & plures sunt sapientibus stulti, & sapientum cætus omnis uniformem tenet callem pietatis. Porrò errantium dissimile dogma, dissimilis est & ordo vivendi.

*Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tue.* Hæc tunc proverbialiter de utraque parte disputavit: hinc jam sedulus incipit admonere quemque fidelem, ut disciplinam legis divinæ, blanditijs præponat reproborum: quia nimirum hujus custodiam corona, illorum facinora mors sequatur æterna. Unde & rectè filium vocat, quem paterna sollicitudine curat instituire. Potest & ex Dei Patris persona dictum accipi: in nomine autem matris, Ecclesia, que tunc synagoga vocabatur, intelligi. Et notandum quod ita nos disciplinam patris audire præcipit: ut legem quoque matris nulla ratione dimittamus: quia non sufficit, ut quis se Deum diligere, & ejus præceptis obtemperare dicat, si unitatem Ecclesie, fraternali charitate non sequitur, nec vetat aliquid matrem ipsam Dei gratiam qua salvamur accipere. Nam & apud Hæbræos, spiritus qui gratiam præstat genere feminino כּוּנָה nuncupatur. Aliter: Pater omnium electorum est Deus, qui per Prophetam loquitur, dicens: Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis. Mater nostra est Ecclesia, de qua Propheta ait: Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Filium appellat, quem imbuat paternitatis affectu. In disciplina paternæ, novi testamenti doctrina ad audiendum proponitur. In lege materna, veteris testamenti commendat arca.

*Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Mos apud veteres fuit, ut legitime certantes coronam in capite, torquem in collo acciperent. Et nobis ergo si disciplina conditoris nostri, si gratia matris sit ad custodiam, major inde spiritualium virtutum claritas augetur. Additur enim gratia capiti, cum charitas que principale mentis ornat, ardentius inflammat. Additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis sermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur: ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficienti virtutum connexione docetur. Vel gratia in capite uniuersusque electi addit, cum donum Spiritus sancti ejus menti divinitus illabitur. Torques verò in collo ejus tribuitur, dum decus intelligentie ei cælitus conceditur. Sed & his qui Mosaicæ legis decreta Domino veniente servabant, addita est gratia novi testamenti cum spe regni cælestis. Cujus splendor eximius ad exemplum coronæ vel torquis, nullo unquam sine claudetur. Nobis quoque cum pro bonis actibus, quos divina gratia prærogavit, lux æterna tribuitur: gratia profecto capiti & collo torques additur: juxta illud Evangelij: Quia de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Gratiam scilicet beate retributionis, pro gratia rectæ operationis.

*Fili mi si te lassaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Duobus modis lassant peccatores quos decipiunt: quia aut ad faciendum scelera, blandimentis alliciunt, aut facta jam favoribus, quasi laudabiliter acta, sustollunt. In utroque autem sapientia suos auditores, ne talibus acquiescant hortatur.

*Si dixerint, veni nobiscum, insidiamur sanguini.* Potest hic locus generaliter de latronibus, qui innocentibus insidias, & mortes, vel damnâ inferunt: potest & de illis specialiter intelligi, qui ipsum vitæ authorem neci tradiderunt.

*Abscondamus tendiculas contra insentem frustra.* Hæc fecerunt cum dicebant: Licet dare tributum Cæsari, an non? & innumera hujusmodi. Verè etenim erat insons, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Verè frustra illi tendebant insidias: à quo in nullo læsi, imò cujus plurima erant beneficia ejus experti.

*Deglutiamus eum, sicut infernum viventem, & integrum, quasi descendentem in lacum.* Ita Dominum impii desiderabant extinguere: ut omnis memoria virtutum & doctrinæ illius tolleretur: sed & hoc ipsum quod nunquam talis inter eos vixerit, obliuioni traditur.

*Omnem preciosam substantiam reperiemus: implebimus domus nostras spoliis.* De hominibus dicebant, quos Christo adherere cernebant. Putabant enim quia si eum occiderent, omnes qui crederant, ab ejus possente amore & consecratur fecerent, talibique animarum spoliis, suatum conventiuala replere domorum. Cui simile est illud dominicæ Parabolæ: quia veniente ad se regis filio dixerunt: Hic est heres, venite occidamus eum, & nostra erit hereditas. Potest & generaliter pretiosa substantia, Christi Ecclesia intelligi, que ejus pretioso sanguine empta est: quam impii de potestate ejus subtrahere, & sibi subdere conati sunt. Sed quia Dominus dissipat consilia gentium, & reprobat cogitationes populorum, hoc implere minime poterunt.

*Sortem mitte nobiscum, sicut infernum unum sit omnium nostrum.* Marsupium est sacculus nummorum. Patet autem de latronibus: quia ut plures scelerum focos conquirant, communionem eis prædæ quam rapuerint, spondent. Sed & persecutores nostri redemptoris quoscumque potuerunt sibi adjungebant: ut quos illum sequi videbant, hos de synagoga propulantes, sua communionem privabant.

*Fili mi, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à seminibus eorum.* Prohibet credentes Christo de Judæis, communicare persequentibus Christo Judæis: denique omnes qui credebant, erant pariter. Et Petrus istdem loquitur: Salvamini à generatione ista prava.

*Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem.* Non solum ad malum quod temporaliter operentur, sed etiam ad malum quod perpetuo passuri sunt, impii propeant, quoties ad patrandum homicidium, vel aliud quid sceleris agendum festinant. Nam quantum videntes ad facinus implendum ducuntur, tantum non videntes ad tolerandum pro facinore penam propinquant. Hæc de insidiariorum nostri Salvatoris valent specialiter intelligi. Sequens autem versiculus de fidelibus ejus, atque pravorum malitiam sustinentibus, generaliter inferitur.

*Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.* Frustra etenim laqueus persecutionis aut mortis tenditur electis, qui pennas habent spei & charitatis cæterarumque virtutum, quibus cælestia dum vivunt, desiderant: ut ad hæc post mortem mereantur pertere. Habent & oculos mentis, per quos & mala que ab impijs sustinent, oculus transita: & bona que sustinendo meruerunt, æternè mansura prævideant. Quibus simul oculis, & reproborum superbiam citò consummandam, & tormenta sequentia semper mansura prospiciunt. Potest & ita accipi, quod rete dicat perniciosa malorum doctrinam, quam ab eo loco contextit, ubi ait: Si te lassaverint peccatores, ne acquiescas. Frustraque tale jacitur rete ante eos qui mundis oculis cordis superna contemplantur: qui dicere norunt cum Propheta: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Facile enim laqueos qui in terra tenduntur caveat, qui pennis virtutum subvectus, conversationem habet in cælis. Utrumque ergo rete frustra bonis parant reprobi, quia & si suadent iniqua, superantur justorum sapientia: & si insidias inferunt adversa, contemnuntur patientia. Sive oculi pennatorum sunt animæ beatorum,

virtutum pennis suffulz. Que acuto visu cælestia, contemplantæ, ad superna evolvant, ante quorum intuitum, frustra ab impijs deceptionis rete prætenditur: quia divinitus adjuvi, cunctos eorum laqueos facillè transcendentes, ad superna transeunt.

*Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur: & moliantur fraudes contra animas suas.* Contra sanguinem, ut temporali morte plectantur: id est, puniantur: contra animas autem dicit, ut æterna quoque animarum perditione damnentur. Quod cum ad omnes qui sanguini insidiantur, & fraude sibi vivendam existimant pertineat, specialiter tamen Judæis congruit, qui insonti Domino tendiculas absconderunt, ejuisque Apostolos virtutum pennis fultos, dolis circumvenire satagebant. Contra suam namque sanguinem suamque animas agebant, qui timentes ne terrestrè regnum perderent, cæli terræque regem occiderunt. Cæli cives persequerantur in terra, ideoque & quod in terris habebant, & quod in cælis acquirere poterant regnum, perdidit. Generaliter autem dicendum, quia quicumque oculos fidei habet apertos, accipitque à Domino pennas ut columbæ, quibus æternam volet ad requiem, frustra tali necant laqueos mali, seque ipsos potius hoc prælumendo perimant.

*Sic semita omnis avari animas possidentium rapiunt.* Semitas avari dicit subtilis ejus cogitationes, quibus sedulus inquirat qualiter pecuniam augeat. Talesque semite rapiunt ad interitum animas possidentium, id est, eorum qui possessionibus pecuniarum ultra rationem incumbunt. Non solum ergo, inquit, hi qui ob rapinam rapinis innocentes & cædibus invigilant, semetipsos hoc agentes perdunt: verum eodem ordine, tamen minore reatu, omnes avari meditationes, que aurum Deo præferunt, hunc ad interitum trahunt. Aliter sic: Semita omnis avari animas possidentium rapiunt. Tali sine, ut præfatus sum, avarus quique perimit vel nudat eos qui possessionibus abundant, ut ipse potius hoc agendo pereat. Pauperes namque quos nihil possidere cernit, cur occidat? quoniam quos spoliet, non invenit. Huculque persequutiones quas Judæi Christo intulere describuntur: hinc referuntur ea que ipse post passionem eisdem suis persecutoribus per Apostolos loquitur.

*Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.* Sapientia quippe Dei Christus est, qui in mundo conversatus, paucis suæ mysteria divinitatis patefecit. Ipsique præcepit, ne ante passionem & resurrectionem suam, quia ipse esset Jesus Christus, prædicarent, ne gloriam ejus quam in monte conspexerat, cuiquam dicerent. Magisque tunc suæ potentiam majesticis operibus quam verbis ostendebat, impleta propheta que dixit: Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Ad post resurrectionem ejus, sapientia foris prædicabat, quia missus desuper spiritu, per Apostolos aperte seipsam mundo declarabat. In plateis dabat vocem suam, quia in latitudine plebium manifestè, que antea paucos docuerat replicabat, impleto verbo quod eisdem suis præconibus ait: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Aliter: Christus Dei virtus, Dei & sapientia, que in potentia divinitatis, apud patrem olim latebat, nunc in fine sæculi per assumptionem carnis, velut foris in plateis egrediens, in hoc mundo visibiliter apparuit, atque Evangelicam prædicationem de futuri regni sui beatitudine, clara insonuit voce.

*In capite barbarum clamitat.* Quia etiam principibus, qui ei prævaluisse ut crucifigeretur, videbantur: reatum homicidii quod perpetrarent, palam reducebat ad memoriam, eosque ad penitentiam remedium vocabat.

*In foribus portarum urbis profert verba sua dicens.* Urbs, Ecclesia est ex utroque populo, Judæorum videlicet & gentium adunata, cujus portarum fores, sunt doctores, qui verbum prædicando, credentes in eam introducunt. Et in foribus portarum ejus verba sapientia proferebat, cum in Apostolis suis loquebatur, è quibus unus aiebat: An experimentum queritis ejus qui in me loquitur Christus? Possent fores portarum urbis, etiam synagoga majores intelligi, in quibus sapientia disputabat, cum legis peritos pharisæos & sacerdotes, per Apostolos loquens, suam revocabat ad gratiam: ita ut sicut Lucas ait: Multa turba sacerdotum obediret fidei. Quid autem eadem sapientia clamaretur, adjungit.

*Uisquequo parvuli diligunt infantiis?* Parvuli dicuntur sensu tardiores: qui infantiam, hoc est, ignorantiam complectendo diligunt. Uisquequo parvuli sensu veteris instrumenti

ceremonias novo clarescente diligitis? Uisquequo Moyfi Christi Evangelio legem præferitis? quousque decreta que rudibus adhuc populis per servum data sunt, præponitis eis que filius ipse veniens, perfectis sensu contulit? Jam vidistis Christum in carne, jam miracula facientem & docentem: non tantum spreveritis, sed & occidistis. Saltem modo resuscitatum à mortuis, & præsentem cælo diligite, & dimittet vobis scelus quod commisistis.

*Et stulti ea que sibi sunt noxia, cupient: & imprudenter odibunt scientiam.* Præponendum est à superiore usquequo, id est, usquequo cupient, usquequo odibunt. Cupiebant autem noxia, & odibant scientiam, qui literæ legalis superficiem sequebantur, & sacramenta Evangelij, que ipsa litera significabantur, accipere detrectabant. Stulti sunt qui apud semetipsos sapientes putantur. Ea que sibi sunt noxia, cupiunt: in hoc quod præsentia diligunt, & futura non appetunt. Imprudentes verò dicuntur, qui veram Dei scientiam, dum suum diligunt errorem, exolam habent.

*Convertimini ad correptionem meam.* Corripuit per Apostolorum ora Judæos, quia credere noluerunt, ut tunc eos postquam surrexit & ascendit, monuit converti.

*En proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.* Si adhuc, inquit, converti negligitis, proferam vobis vindictam quam meruistis, & verba que de vestra perditione prædixi, ostendam vera esse. Spiritum quippe suum, potentiam ultionis nominat, de qua Moyses ait: Missi sunt spiritus tuum, & operuit eos mare. Et in libro beati Job dictum est: Iniquos stante Deo perisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos.

*Quia vocavi, & renuistis.* Dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

*Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Primò benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, postmodum in cruce patiendo.

*Despexistis omne consilium meum.* Dicens: Penitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.

*Et increpationes meas neglexistis.* Dicens: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocrytæ, quia tulistis clavem scientiæ. Ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis: & generaliter qui non credit, jam judicatus est.

*Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.* Tale est in Psalmo de eisdem: Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Non quia buccis Dominus irrideat, aut naso subsannet: sed ea vis designata est tali verbo quam dedit Apostolis, ut præviderent nihil profus impios contra eum supra quam ipse permitteret insidias esse acturos: quin potius illorum cæpta omnia evacuanda, & ejus verò gloriam post passionem per orbem terrarum esse dilatandam prænoscerent. Ideoque superbiam eorum, etiam cum maxime valere conspicerent, pro nihilo contemnerent.

*Cum vobis quid timebatis, advenit.* Conferentes ad invicem: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.

*Cum irruerit super vos repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit.* Obsidionem Jerusalemorum subitam, & expugnationem totius provinciæ que à Romanis facta est, dicit: Quam & ipse Dominus in Evangelio, videns civitatem, fletisque super eam, prædixit.

*Quando venerit super vos tribulatio & angustia: tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Non leguntur Judæi in illa obsidione Dominum invocasse, sed tantum armis esse confisi, quamvis desolationem patriæ ruinamque templi, amatissima mente conspexerint. Si qui tamen tunc cum invocabant, quia hi culpam pro qua sunt puniti, intelligere, ut verè peniterent, nolebant, exauditi non sunt. Unde rectè dicuntur tribulationem cum angustia fuisse perpeffi. Tribulationem que erat in eis, qua foris deprimebantur: cum angustia in eo quod intus à Deo nihil consolationis invenerant. At contra sancti cum exterius opprimuntur adversis, spe certa salutis in corde delectantur, scientes se ab illo exaudiri clamantes, cujus se verbo jubentis audire meminerunt. Hinc etenim Propheta ait: Cum invocarem te, exaudisti me Deus justitiæ mee: in tribulatione dilatasti mihi. Potest autem tota hæc correptio sapientie, de universis generaliter reprobis accipi, qui in die judicii clamant ad judicem districtum, aperi sibi januam regni postulantes, nec merentur exaudiri. Nam & hoc quod sequitur: